

Quòd motus corporum cœlestium sit æqualis ac circula-
ris, perpetuus, uel ex circularibus compositus. Cap. IIII.

DOst hæc memorabimus corporum cœlestium mo-
tum esse circularem. Mobilitas enim Sphæræ, est in
circulum uolui, ipso actu formam suam exprimētis,
in simplicissimo corpore, ubi non est reperire princi-
pium, nec finem, nec unum ab altero secernere, dum per eadem
in seipsum mouetur. Sunt autem plures penes orbium multitu-
dinem motus. Apertissima omnium est cotidiana reuolutio,
quam Græci *vvχθμόν* uocant, hoc est, diurni nocturniç tempo-
ris spacium. Hac totus mūdus labi putatur ab ortu in occasum,
terra excepta. Hæc mensura communis omnium motuum intel-
ligitur, cum etiam tempus ipsum numero potissimum dierum
metimur. Deinde alias reuolutiones tanquam contranitentes,
hoc est, ab occasu in ortum uidemus, Solis inquam, Lunæ, &
quincç errantium. Ita Sol nobis annum dispensat, Luna men-
ses, uulgitissima tempora: Sic alij quincç planetæ suum quisç
circuitum facit. Sunt tamen in multiplici differentia: Primum,
quòd non in eisdem polis, quibus primus ille motus obuoluun-
tur, per obliquitatem signiferi currentes. Deinde, quòd in suo
ipso circuitu, nō uidentur æqualiter ferri, nam Sol & Luna, mo-
do tardi, modo uelociores cursu deprehenduntur. Cæteras au-
tem quincç errantes stellas, quandoç etiam repedare, & hinc
inde stationes facere cernimus. Et cū Sol suo semper & directo
itinere proficiscatur, illi uarijs modis errat, modo in Austrum,
modo in Septentrionem euagantes, unde planetæ dicti sunt.
Adde etiam quòd aliquando propinquiores terrę fiunt, & Peri-
gæi uocātur, aliás remotiores, & dicūtur Apogæi. Fateri nihilo
minus oportet circulares esse motus, uel ex pluribus circulis cō-
positos, eo quòd inæqualitates huiusmodi certa lege, statiscç ob-
seruant restitutionibus, quod fieri non posset, si circulares non
essent. Solus enim circulus est, qui potest peracta reducere,
quemadmodum, uerbi gratia: Sol motu circulorum composito
dierum & noctium inæqualitatem, & quatuor anni tempora no-
bis re-